





1694.

1. Fuch, Johannes Sebastianus: De jure tutelae necessa-
riae.

2. Hertius, Joh. Nicolaus: De praedia juris publici
universalis

3. Langerbeck, Georgius: De transactione calumniosa

4. Nitschius, Fredericus: De juribus militum singula-
ribus.

1695.

Hertius, Joh. Nicolaus: De ordine causarum in iudicio
tractandarum

1696

1. Heeser, Wilhelmus: De locationibus inter vivos probi-
bitis.

2. Hertius, Joh. Nicolaus: De transitione privilegii
personalis ad alios.

1696.

3. Hagnek, Joannes Matthaeus: De jure repraesentationis
in linea collateralis.

4. Merckel, Salomon Christoph: De testamentis prior
legiatis

1697.

1. Mollenbeccius, Bernhardt Ludovicus: De iure
palliato.

2. Mollenbeccius, Johannes Henricus: De jure Papae
viano, quod apud Avarites antiquissimum est

3. Pistorius, Georgius Tobias: De sollicitudine camera
lisus

1698

1. Flad, Fridericus Reinholdus: De distinctione juris
et virtutis

2. Hertius, Joannes Nicolaus: Sensus personarum
juris Germanicarum nova

3. Hertius, Franciscus Nicolaus : De subjectione
hereditaria.

4. Hertius, Franciscus Nicolaus : De quasi possidente
possidente

5. Hoepfnerus, Johannes Hieronymus : De interpretatione
juris.

6. Hofmeister, Johann Melchior : De episcopis juvenum

7. Malcomerius, Georgius Augustus : De actione hypothecaria

8^{te} Weber, Johannann : De vindictis adversus legem
tam delinquentem et de iudice eius competente
2 Gumpel. 1698. 2 1748

[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



197

7. 7. 1694, 2

3. 5

2

DISSERTATIO

DE

PÆDIA JURIS
PUBLICI UNI-
VERSALIS.

QUAM

ASSISTENTE SACRO SANCTA TRINITATE

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi ac consultissimi

DOMINI

JOH. NICOLAI HERTII,

J. U. D. ejusdemque Professoris Ordinar. meritissimi,

J. C. ti famigeratissimi,

*Domini Patroni ac Præceptoris sui, nullo non honoris &
obsequii cultu atatem prosequendi.*

publicæ eruditorum ventilationi exponit

JOH. GOTHOFRIDUS GEILFUS,

Butisbac. Wetterav.

ad diem Aprilis M DC XCIV.

GISSÆ-HASSORUM,

Typis HENNINGI MÜLLERI.




DISSEMINATION
PUBLISHED
BY THE
NATIONAL ARCHIVES

STATISTISCHES BUREAU

DEUTSCHLAND
1913

STATISTISCHES BUREAU
DEUTSCHLAND





A. Ω.

PÆDIA JURIS PUBLICI
UNIVERSALIS.

- | | |
|---|---|
| <p>§. I. Partitio Juris in publicum & privatum.</p> <p>§. II. HOMONYMIA <i>Juris</i>, quo heic significatur Jurisprudencia.</p> <p>§. III. <i>Et Juris publici.</i></p> <p>§. IV. DEFINITIO.</p> <p>§. V. QUÆSTIO AN? Ubi triplex dubitatio proponitur. <i>Prima</i>, an jus publicum omne sit singulare?</p> <p>§. VI. <i>Alter</i>, an jus publicum in civitatibus sit commune?</p> <p>§. VII. <i>Tertia</i>, an hæc peculiaris & ab aliis distincta sit disciplina?</p> <p>§. IIX. FINIS. Ubi obiter disquiritur, an fas sit jus hocce in Academiis tractare.</p> <p>§. IX. OBJECTUM <i>civitas</i>.</p> <p>§. X. Etiam herilis.</p> | <p>§. XI. FORMA, <i>cognitio</i>, ex <i>jure naturali petenda</i>, illo præsertim, quod actum voluntatis humanæ consequitur.</p> <p>§. XII. Hinc locus quoque heic est inductionibus ex rebus singularibus, & demonstrationibus.</p> <p>§. XIII. Inter Christianæ religionis populos ex <i>jure divino</i>.</p> <p>§. XIV. An ex <i>Romano jure</i>?</p> <p>§. XV. An ex <i>Canonum jure</i>?</p> <p>§. XVI. An populus unus jus condere queat in aliarum civitatum fraudem valiturum?</p> <p>§. XVII. <i>Methodus disciplinae hujus</i>.</p> <p>§. XXIII. CAUSA EFFICIENS. Ubi dispicitur de scriptoribus, qui enarrantur.</p> |
|---|---|

A

§. I. Ju.

Juris celeberrima est partitio in publicum & privatum. Quamquam nonnulli ab utroque sacrum secernant. Fabius, (1) genera sunt tria, inquit, sacri publici & privati juris. Aufonius.

(1) 1. Inst.
Orat. c. 4.
conf. l. 23.
C. de SS.
Eccles.

*Jus triplex, tabula quod ter sanxere quaterna,
Sacrum, privatum, populi commune quod equum est.*

(2) de arte Horatius (2)
poetic.

*Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.*

(3) v. D.
Praschiū
d. 7. Cto
Vero &
pers. §. 20.

Hac mente Cicero Libris de legibus, primò sacrum, altero publicum, tertio privatum jus est persecutus. Tamen Ulpianus in l. 1. §. 2. d. *Just. & Jur.* sacrum publico subjecit, quando in sacris Sacerdotibus & Magistratibus hoc dixit consistere, reprehensus ea propter à quibusdam (3) quasi ex disciplina Paganorum scripserit. Verum nos accedimus Ulpiano, si vocabulo juris sacri intelligatur quod ad civitatem respectum habet. Nam si arbitrium sacrorum inter præcipuas summæ potestatis partes numeratur, hætenus sub jure publico contineri sacrum facile animadvertas. Enimverò cum in sacris multa sint, quæ nullum ad civitatem respectum, sed altius propositum habent, jam sacrum à publico & privato jure rectè distingui æque manifestum est. Tale apud Romanos erat

(4) libr. de *Jus Augurum Pontificium*, quod civile vocat Cicero (4) sub senectute. persona Marci Catonis. Eodem referas legem apud Aristotelem. (5) *Capram Jovi immolare, non oves.* Item *Prasidæ sacra facere ejusdem generis.* Neque aliò pertinent operosissimi illi in sacris ritus, quos Deus Hebræorum populo, ad superstitionem proclivi, ne ad Idololatriam prolaberetur, præscripsisse existimatur.

§. II.

Vocabulo juris, quòd tam varia significat, heic artem seu habitum, quo justum cognoscitur, notamus. Nam & Justinianus Imperator *in §. ult. 7. de Just. & jur.* postquam jurisprudentiæ definitionem præmiserat, subjungit: *Hujus studii, duas esse positiones* (seu membra, modo loquendi Stoicis usitato (1)) *publicum* videlicet & *privatum*. Rursum Ulpianus (1) Cujac. *ad l. 1. §. 2. d. Just. & jur.* jus, quod artem boni & æqui definiverat, partitur *in publicum & privatum*. Frustra igitur sunt, qui negant jus & jurisprudentiam interdum idem significare. Equidem jus subinde materialiter, ut in scholis loqui solemus, notat id quod justum est, tam agente quam negante sensu; quo aspectu fatemur jurisprudentiam publicam à jure publico, quod Aristoteles (2) *δικαιοσύνην πρὸς τὴν πολιτείαν*, distingui tanquam continens ab eo quod continetur, ad eum modum quo corpus naturale differt à scientiâ quæ circa illud occupatur. Tamen nos hoc loco juris & jurisprudentiæ vocabulo promiscuè utemur.

§. III.

Jus autem publicum à Romani juris auctoribus interdum appellari solet, quod publicâ auctoritate est constitutum, & privatorum conventionibus temerè mutari nequit. Sic testamenti factio, Lex Falcidia, Usucapio, & alia juris publici dicuntur. *v. l. 29. D. d. testament. tutel. l. 3. qui testam. facere poss. l. 15. §. 1. ad L. Falcid. l. 18. §. 1. de damno infecto.* Contra Papinianus *l. ult. D. de suis & legitim. hered. cautiones negat lege publica censeri.* Nimirum in hac significatione jus publicum à causa effectrice nomenclaturam accipit, & justum notat, quod reapse vertitur in negotiis ad privatorum utilitatem comparatis, utut auctoritate plusquam vulgari contineatur. Hinc non longè abit, quando quæ directè juris privati sunt ad publicum jus referuntur; indirectè sc. & per reflexionem,

ut matrimonium & tutela: quoniam familiæ sunt seminaria omnium ordinum civitatis, easque conservari ad curam publicam proprius spectat. Idem Romani jus publicum vocant, quod ad statum rei Romanæ spectat idque Ulpianus in *sacris Sacerdotibus & Magistratibus dixit consistere*. Verùm hæc significatio est specialior: nam deinceps contra vulgarem errorem demonstratum dabimus, jus esse aliquod publicum civitatibus tantum non omnibus, tametsi non omni ex parte commune, & præterea unamquamque civitatem (non tantum Romanam, quod multis iterum non tolerando errore persuasum fuit) suo fermè proprio jure publico uti. Ulpianea autem definitio, licet publico juri accommodari queat, aliquam tantum illius partium enumeratione defungitur. Illa vero latissima est notio, quando jus publicum esse dicitur etiam, quod gentibus invicem intercedit. Quam laxam significationem utitur H. Grotius, dicens: *Jus publicum ordinare totum ad partem, & partem ad totum, & duo tota inter se*. Addit: *Juris publici magnam partem esse jus feciale*.

In appen-
dice Epist.
4.

§. IV.

In notione, quæ hujus loci est, Cicero jus publicum, quod primo de *Legibus* Jus civitatis insigniverat, proprium esse civitatis atq; Imperii dixit: 1. de *Oratore*. Nobis autem definiendum videtur: *Justi ac injusti scientia circa statum & contextum civitatis, præcipue autem circa summum in civitate imperium*. Hujus partem *Jus Senatorium* esse dicit Plinius, & *Jus sacrorum* Ulpianus, de quo supra.

3. Ep. 14.

§. V.

Jus hocce publicum universale negant omnes illi, (1) qui Politicam de civitate in communi, jus publicum de speciali rep. præcipere existimant. Nos vero nulli dubitamus in magno hos errore versari. Etenim cuivis vel leviter in hanc publici juris scientiam intuenti apparet, inveniri in eâ quæ

(1) Kipping. l. 1.
Jurisp.
c. 1 §. 2.
Clasen
prolegom
comp. Pol.

quæ non ad civitates quâ singulas sed quâ universas pertinent. Rachel Jus enim naturæ, quod unum disciplinæ huic fundamentum *introd.in* suppeditat, non ad usum certæ civitatis solum modo respicere *Jus publ.* fatetur ipse D. Mauritius. (2) Quamvis non paucas fatea. *c.1.* mur præter universale illud peculiaria sibi jura habere, sive *D. Maur.* pactioibus constituta, sive moribus inducta, à quibus reip. *de prin-* suæ administrationem suspendant. Quod ipsum etiam usu *cip. Jur.* in civili prudentiâ venit, quam vel universalem esse vel sin- *publ. c. 2.* gularem, in perspiciendis scilicet rationibus, hujus vel illius *§. 4.* reip. occupatam, præclarè ostendit H. Conringius. Sane (2) *de* Jus publicum universale in multis differt à jure publico par- *Princip.* ticulari. Illud ad civitates omnes se extendit. Hoc in sin- *Jur. publ.* gulis populis variat, ac brevius alibi est, alibi diffusius. Mixtæ *c. 3. §. 2. 3.* Achaicæ aut his similis civitates prolixum habent jus publi- *§ 4.* cum, *παμβασιλείαι*, imprimis heriles, brevissimum. Quod, ut dubitatio omnis expellatur, exemplis illustrare libet. Apud Livium *Syri & Asiatici dicuntur hominum genera servituti nata, qui- bus pro legibus dominorum imperia semper fuere: & teste Heliodoro,* (3) Barbarorum *τῆς ἀρχῆς νόμος ἐστὶ τὸ βέλεσθαι.* Quòd (3) *1. Æ-* nec hodie aliter se habere, eundo per Asiæ pleraque regna, *thiopia.* demonstrat Arnisæus. (4) Et in Turcicò Imperiò Sultanos, (4) *2. Re-* qui auspicientes imperium sacramento promittunt, observa- *lect. Pol. 3.* turos se Mahumetis legem, eadem lex absolvit, quando le- *sect. 5.* gem illam interpretandi ac mutandi pro ratione reip. facul- *n. 21. seq.* tatem iis concedit. Ut adeò Sultanos Turcicos legibus ad- (5) *Histor.* strictos pronunciare, perinde sit ac dicere, hominem carcere *stat. pres.* inclusum teneri, qui totum orbem pervagatus non potest ire *Imper.* longius. Ut differit Ricautius. (5) In Europâ *παμβασιλείας* *l. 1. c. 3.* non herilis nobilissimum habemus exemplum in Daniæ Re- (6) *Rõng* gno, cujus Rex hodiernus Serenissimus legum à se vernaculâ *Christian* linguâ promulgatarum corpus hac lege præmunivit: (6) *den Gentis* Rex *Danske* *zow l. 1.* *juxta Legem Regiam est velut regni vera, immutabilis, fundamentalis*

Lex, Regnorumque suorum & Provinciarum Dania & Nor-
 wegia μοναρχος hereditarius Rex ac Dominus, & solus summam
 potestatem habet dandi leges & praecepta juxta velle & beneplacitum
 suum, interpretandi, interpolandi, variandi, augendi, imminuendi, imò
 penitus abrogandi priores à se ipso vel majoribus suis latas leges, ut &
 eximendi à communi legis mandato quid & quemcunque voluerit.
 Solus itidem summam potestatem & auctoritatem habet constituendi
 & semovendi omnes ministros, tam summi quam inferioris ordinis,
 quocunque demum nomine vel titulo gaudeant, pro libera sua voluntate
 & arbitrio, ita ut omnes magistratus & ministeria, quacunque etiam
 auctoritate polleant, à monarchica Regis potestate, tanquam ex fonte,
 primam originem suam ducere debeant. Rex itidem solus summam
 auctoritatem supra clerum omnem superioris inferiorisque ordinis ha-
 bet, ad ordinandum Ecclesiae ritus, cultum divinum, synodos & con-
 ventus de causis Religionis juxta verbum Dei & Augustanam Confes-
 sionem, quoties consultum ducat, mandandi & vetandi. Solus etiam
 potestatem habet circa arma & armaturam, bellum gerendi, foedera
 faciendi & rumpendi quocum & quoties utile crediderit, vectigalia
 & tributa imponendi. Verbò: Rex solus potestatem habet, & usum
 omnium jurium Majestatis regaliumque, quocunque demum nomine ea
 insigniri possint. Quapropter etiam omnes Regis subditi cujuscunque
 status & gradus, qui habitant vel locum habitationis in ipsius Regno &
 Provinciis hereditariis possident & habent, cum universo ipsorum fa-
 mulitio, ut ingenui subditi hereditarii, Regem pro summo & maximo
 in terris capite, supra omnes humanas leges, qui nullum sui judicem,
 vel se superiorem, sive sacra sive profana negotia spectes solo Deo ex-
 cepto, agnoscat, aestimare debent, eidemque propterea, quia pacem illis
 conservat & beneficio legis & administrationis suae, Regna & Pro-
 vincias gubernat, dicto audientes, morigeri, subjecti & fidi esse; Regis
 commoda promoveri, damna & incommoda, omnibus viribus avertere;
 Regi fideliter servire cum vita fortunisque, & sacramento adstricti
 esse;

esse; eundem adversus omnes & singulos, quicumque demum ii sint, indigenas, vel peregrinos, contra monarchicam Regis potestatem & jus hereditarium loqui vel agere ausos, sub vita, fama, & fortunarum dispendio, defendere debent: à quo officii debito, nec amicitia, nec inimicitia, nec metu, nec periculo, nec odio, nec invidia neve ullis humanis insidiis, se ullo modo abduci patientur. At in regnis & rebusp., quæ hierarchiæ Papali subsunt, jus publicum est prolixius & intricatius, ut controversiæ innumeræ cum Pontificibus Romanis, etiam in Galliæ regno, testari possunt. Germanicum verò Imperium, si quæ ulla unquam Respl. jure publico utitur, ut diffusissimo, ita explicatu difficilimo. Neque jus publicum, quo Fœderatum Belgium & partes ejus gubernantur, cuivis facile est obvium. Verùm exemplorum plus satis fuit. Jus autem publicum universale in eo quoq; differt à singulari, quod illud ex dictaminibus juris naturalis deducatur; hoc voluntario, eoque scripto vel non scripto, jure constet. Sic in Regno Francorum *ex consuetudine olitanâ Reges ex genere prodire* dixit *Carolus Calvus, in capitul. tit. 30. c.1.* ubi in notis Stephanus Baluzius *consuetudinem olitanam* optimè interpretatur *priscam*, & auctoritatibus illius ævi scriptorum firmat. Cujusmodi consuetudines complures sunt in Imperii Germanici jure publico. Porro jus publicum universale semper idem est, at particulare in una etiam civitate, pro reip. statu sæpe variat ac mutatur. Atque ex his abunde, nisi fallor, liquet, rectè Taborem nostrum in proëmio libri de regimine Imperantium ecclesiastico dixisse: *publicum jus aliud commune esse, aliud proprium.*

§. VI.

Speciosius, ut evincatur nullum esse jus publicum universale, adduci potest Euphemi Atheniensium legati dictum:

(1) *Viro Principi & Civitati imperium tenenti nihil inconueniens esse, dum utile, nihil amicum, nisi fidum.* Quod experientia etiam

(1) apud
Thucyd.
l.6. Histor.

com-

* inter
ep. 7.

comprobat, ut Plato jam suo tempore, in epistolâ ad propin-
quos & adfines Dionis, * non dubitaverit affirmare, constare
sibi de omnibus sui temporis civitatibus. Ὅτι κακῶς ξυμπασαι
πολιτεύονται, quod omnes male gubernentur. Quin Græcorum
ille justissimus multa, Theophrasto auctore apud Plutar-
chum, pro utilitate patriæ fecisse dicitur, ὡς σύχνης ἀδικίας δεο-
μένης cum scilicet crebrâ opus esset injustitia. Enimverò uti pec-
cata contra leges privatas jus privatum non tollunt, ita nec
peccata civitatum ejusve Rectorum Jus publicum. Quan-
quam negandum non sit, multa, quæ peccata videntur, boni
publici causa rationem mali exuere, quod complura exem-
pla in jure publico universalis liquidum faciunt. Videantur
interim quæ in compendio adduxit Hermannus Conrin-
gius.

de prud.
Civil. c. 2.
p. 15. sequ.

§. VII.

(1) Semi-
dec 2.
question.
Jur. pu-
blic. 3.

Videamus an hæc peculiaris & ab aliis distincta sit disci-
plina? Quod negandum. Est enim pars illius quæ jus naturale
omne explicat; quanquam nihil vetet, propter nobilitatem
rei, de qua agit, separatim eam tractari. Hactenus concedimus
Gottfrido Fibigio, (1) Jus publicum, (particulare sc.) partem
esse integrantem juris civilis statuenti. Quod vero idem inde
colligit, nullam esse Jurisprudentiam publicam specialiter ita
dictam, falsum est. Ecquis enim negaret Jurisprudentiam esse
feudalem, propterea quod pars sit Juris civilis? Sane aper-
tum est, disciplinas earum rerum, quæ materiâ usque adeò
differente constant, ut sunt civitas & res privatorum, specie
differre, tametsi eidem generi, ex quo emanant, subjiciantur.
(2) Diss. 1. Perperam quoq; Sutholtus (2) asseruit, Jus publicum partem
aphor. 3. esse prudentiæ civilis: differunt enim materiæ diversâ confi-
deratione, ut postea docebimus. Nisi forsitan juris publici
vocabulo, ut multi solent, intellexit notitiam civitatis singu-
laris, quæ profecto specialis politica non absurde insignietur.

Nam

Nam ita quoque doctissimus Paraphraſtes Ariſtotelis (3) ut (3) *Lib.*
 cum latinè loqui fecit Daniel Heinfius. *In civili* (τῆς πολιτικῆς) *VI. Nico-*
alia eſt architectonica quaſi prudentia, qua legalis (νομοθετικῆ) *dicitur: mach-*
alia ſingularis (ἡ δὲ μερικῆ) *qua eſt ſub illâ, & civilis dicitur. Ci-*
vilem jam dico, qua in agendo occupatur & conſultando, quaque in de-
cretis (ψηφισματι) *verſatur actionibusq̄.*

§. IIX.

Finis hujus Juris publici ſcientiæ, præter illum, quem
 Juris prudentia cum omni communem habet, imprimis eſt, ut
 judicia cum ſubditorum tum ſummorum Imperantium ad
 tranquillitatem publicam formentur. Nam ut prudenter
 Ariſtoteles obſervavit §. Polit. 9. *Legum utiliſſimarum & de-*
cretorum, ab his qui rempublicam gerunt factorum, nulla eſt utilitas,
nifi ſint aſſuefacti & inſtituti in rep., populariter quidem, ſi leges po-
pulares; oligarchicè verò, ſi ſint oligarchicæ. Idem, ut auctor eſt
 Laërtius, (1) interrogatus, quid ſibi ex Philoſophia majus eſt
 ſet acquiſitum, ut injuſſus, inquiebat, *ageret ea, qua legum metu*
quidam faciunt. Experiencia profecto teſtatur, quanto damno
 fuerit non paucis civitatibus depravatio aut incultus harum
 doctriinarum. (2) Eoque magis optandum, inveniri plures,
 qui nobiliſſimæ huic diſciplinæ operentur. Nam qui nol-
 lent Jus publicum in Academiis tractari, argumentis utun-
 tur, quæ juſ hocce univerſale non feriunt.

§. IX.

Objectum, ſeu circa quod verſatur diſciplina hæc, eſt
 ſtatus ſeu contextus civitatis generatim conſideratæ, quate-
 nus quid in illâ juſtum quid injuſtum ſit quaeritur. Unde in-
 cunctanter liquet, quemadmodum à Politica ſive regendæ
 reipublicæ prudentiâ diſtinguatur; quippe quæ accerſitô
 aliunde & præſtructô juris fundamento utilitatum rationes
 ponderat, ſive utilia ab noxiis diſcernit, Platoni eam ob cau-
 ſam καλῶν καὶ συμφερόντων ἐπισημη inſignita. Equidem Maje-
 ſtatis

(1) in vitâ
 Ariſtote-
 lis l. 5.

(2) Hob-
 bes. de
 cive c. 13.
 §. 9. &
 part. 2.
 du corps
 politic.
 ch. 10. §. 8.

B

ſtatis

statis jura etiam explicant politices Magistri, sed diversò fine, ad γνώσιν sc. πολιτικὴν, ut architectura civitatis intelligatur. Hinc brevis illa esse tractatio debet; quoniam proprium in disciplinâ hac, quæ de justo civitatis agit, locum obtinet. Egit de discrimine hoc pluribus D. Ulricus Huberus oratione, quæ inter auspicia ejus domestica est tertia, & nunc libris de jure civitatis præmissa legitur. Cæterùm loquimur hîc de civitatum statu sive contextu interno: nam quæ jura cum externis intercedunt, v. g. belli, pacis, fœderum, cum statui naturali omni sint communia, ex aliâ disciplinæ juris naturalis parte petenda erunt. Ut proinde alienum sit ab hac scientia, belli pacis & fœderum cum externis controversias operosè ei infarcire.

§. X.

Non excludimus heic resp. heriles sive imperia despotica; nam & in his ex pacto sive expressiò sive tacitò est nexus, juris inter eos qui regunt & reguntur regula. Et successiò quæ est in regnis herilibus, naturali jure regitur. Verùm qui diversum sentiunt forte heriles resp. cum tyrannicis seu violentis imperiis confundunt. Etenim ut Aristoteles (1) ait:

(1) 8. Eth. 13. *In tyrannide aut nihil aut parum est amicitia. Inter quos enim nihil est commune illi qui imperat, cum eo qui paret, nec ulla prorsus amicitia est: quoniam neque jus.* Et tamen in his quoque publico juri certa ratione locus est. Exempli gratia, an invasores liceat occidere, & quibus; item quid de invasorum actis statuendum; & si tyranni sunt, quos vocant exercitiò, an eos fas sit potestate expellere, quæque hujus generis sunt alia.

(2) dl. *Atque hoc innuere videtur Aristoteles (2) ipse, quando subjicit: in tyrannicâ ergo dominatione neque amicitia multum esse posse, neque juris.*

§. XI.

Consequens his est, cognitionem juris publici, de quo hoc loco agimus, non singularem esse sed universalem, & ex juris in naturâ positi dictaminibus hauriendam. Novimus in hoc non paucos dissentire, sed argumenta quæ adferunt, in jure publico vel Romano vel singulari duntaxat si quid valent, quippè quod universè ex populi cujusque legibus formatur, sic tamen, ut à face naturæ lumen mutuetur, si controversia incideret non definita istis legibus. Quod si quis opponat: Civitates & in his imperia à facto humano originem ducentia regi non posse à jure naturali, quod primordia sua cum humani generis ortu habuerit. Quorsum Sophoclis (1)

(1) in *Antigon.* ap. *Aristotel.* in *Rhetor.*

ἔ γάρ τοι νῦν τε καὶ δὲς αἰὲν αἰεὶ ποτε
 Ζῆ ταῦτα, κ' ἐδύεις ὀιδεν ἐξ ἔσθ' Φάινη.

*Hæc namq; jura non hodie ac heri vigent
 Sed ævo ab omni: initia in occulto latent.*

Respondemus ex H. Grotii (2) utilissimâ observatione: naturale jus non de iis tantum agere, quæ citra voluntatem humanam existunt, sed de multis aliis, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. Quam juris naturalis partem Avesanus, (3) J. C. tus Gallus, per retrotractionem non in scitè appellavit. Sic dominium, quale nunc in usu est, voluntas humana introduxit, at eo introducto, nata inde esse jura, recte dixit Servius ad *IV. Aeneidos*, & inter alia, nefas mihi esse id abripere te invito, quod tui est. dominii, ipsum indicat jus naturale. Quare furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus J. C. tus *l. i. D. de furtis* naturâ turpe Ulpianus *l. probrum 42. de Verb. signif.* Nimirum, quia natura omnibus hominibus ingeneravit, nefas esse alteri detrahere sui commodi causâ. Ita summis potestatibus morem geri, matrimonia habere sancta,

(2) *l. de j. B. §. p. c. 1. §. 10.*
 (3) *c. 1. de contract.*

ipsa natura jubet, ob fidem datam quam violari naturali juri maximè est adversum. Porrò cum unaquæque civitas ex mutuis hominum pactis coalescat, omne illud naturalis juris existimari debet, quod earundem conditores interrogati respondent. Cujus observationis major, quam quisquam credat, in hac disciplinâ est usus, eamq; in omni materiâ valere Vin-

(1) *part. 2. Dec. Neapolit. 90. n. 11.* centius de Franchis, (1) in legibus Cacheranus, (2) in pactis Vultejus, (3) in contractibus Rolandus à Valle, (4) in testamentis Decius (5) Menochius (6) alii dixerunt. Atque ex hoc etiam descendit universa in regnis succedendi ratio: nam in usufructuariis ex voluntate populi, in patrimonialibus, ex voluntate novissimi regnatoris æstimatur. Quare quicquid huic voluntati adversum, vel non consentaneum est, juri naturali putandum refragari. Hujus juris intelligens Calo-

(2) *2 Dec. 90. n. 16.*
 (3) *3 Conf. Marp. 34. n. 144.*
 (4) *2 Conf. 37. n. 22.*
 (5) *Conf. 89. n. 1, 9. Conf.*
 Pacianus
Conf. 107. n. 37. l. 42. D. de reb. dub.
 (6) *l. 4. de presump. 2 n. 18.*
 (7) *apud Nicetam in fin. Anal.*

§. XII.

Cum vero pacta illa & in universum civitatis contextus sine rerum civilium experienciâ cognosci penitus aut intelligi haut possint, apparet illicò, etiam inductioni ex rebus singularibus heic locum esse, quanquam non ita crebrò ut in civili prudentia. Demonstrationes quoque in hac disciplinâ non minus sunt frequentes. Quod cum pluribus Excellentissimus Dominus Præses meus commentatione peculiari de Jurisprudencia universali, cujus pars est publicum Jus, de quo heic agimus, exposuerit, nolumus ibi dicta hoc loco iterare.

§. XIII.

De Jure divino non est dubitandum, quin apud populos, veræ religionis cultores, principia publico Juri suppeditet.

Sed

Sed cautione heic opus est, ne Jura Hebræorum populo propria temerè inter fundamenta collocentur. Exempli gratiâ Jus Regum, à Samuele I. *Samuel* *III*, *11*. indicatum. A quo in alios omnes populos petendum esse exemplum, multi perquam noxiò errore contendunt. *Monarchie constitutio inter Judeos*, ait Jacobus Angliæ Rex, (1) *exemplar est, ad quod omnes (1) in libenè constitutæ Monarchiæ possint imo debeant conformari, utpote ab ipso Deo fundata & oraculo sacerrimo sancita.* Enimverò cum Deus, contemptum sui ulturus, Hebræis, volentibus secundum morem vicinorum regnari, jugum illud imposuerit, quamobrem idem aliis populis sit injiciendum, causam perspicimus nullam. Id potius inde sequi dixeris, posse evenire certo casu, ut talis formæ regnum subire, & justum sit & necessarium. Porro quod Zepperus, (2) Theologos nonnullos secutus, statuit: scelerum pœnas capitales nec mutari nec mitigari debere, quos per Mosem irrogavit Deus, neque infligi novas, ubi Deus non irrogavit, simpliciter concedendum non est. Nam pœnarum, quæ lege Mosi constituuntur, non eadem est indoles. Aliæ ab ipsâ naturâ videntur statui, ut capitales blasphemix, impietatis, homicidii. Indignus quippe vita est, qui auctorem vitæ non agnoscit, qui in eum est contumeliosus, aut qui sibi congeneris vitam temerè expellit. Has meritò Christiani sequimur. Hinc pœnam capitis longè ante Mosem denunciata homicidis probavit Christus Servator. v. *Genes.* *IX*, *5*, *6*. *Matth.* *V*, *21*, *22*. *XXVI*, *52*. conf. *I. Corinth.* *X*, *7*. Aliæ personis, locis, temporibus sunt accommodatæ. Sic Cretenses mendaces, Arabes latrociniis dediti, Israelitæ ad lasciviam sunt proclives, *Numer.* *XXV*, *1*. Quamobrem pœnæ ita constituendæ, ut exemplo ac terrore supplicii alios paria commissuros reprimant. *Deutr.* *XVII*, *13*. *XIX*, *20*. Quò flumen est rapidius, eò aggeres oportet esse firmiores, quibus obstruatur vel contineatur: & morbis popularibus,

(3) v. Joh. à Sande l. 5. Decif. Frisic. tit. 7. def. 9. (1) 1. de nuptiis c. 6. § 1. 1. de jure bellic. 3. (2) d. lib. 1. de Jur. B. c. 3. add. Arthur D. d. Author Jur. civil. l. 2. c. 7. §. 16 seq. Cabot 1. Disp. 1. § 2. Disp. 10. Warem ab Ehrenbergi de foeder. c. 1. (3) l. 2. d. 7. B. & P. c. 16. § 31. (1) apud Nicol. Burgund. l. 2. Histor. Bavar. ad A. 1324.

quo magis totum civitatis corpus infestant, remedia eò par est adhiberi fortiora. Verùm hac de re alio locò prolixius est agendum. (3)

§. XIV.

Non pauci etiam hic Romanum Jus audiri volunt. Inter alios Albericus Gentilis, (1) Jus, inquit, illis præscriptum libris non unius tantum civitatis esse, sed & Gentium, & natura, & aptatum sic esse ad naturam universam, ut Imperio extincto ipsum jus diu sepultum surrexerit, & in omnes se effuderit Gentes humanas. Ergo & Principibus stare, etsi privatis conditum à Justiniano. Conferri merentur, quæ pro auctoritate illius juris & contra illam in causâ Lusitanicæ successionis superiori seculo fuere disputata, apud eundem Gentilem (2) & alios. Assurgimus & nos libenter gloriæ majestatique legum Romanarum, sed arbitria atque dijudicationes publicarum causarum submittere eis non possumus, nisi voluerint populi à quibus ex liberâ voluntate sunt receptæ. Quod temerè præsumendum non est: quandoquidem & apud ipsos Romanos Jus istud pluribus modis variavit, aliudque fuit tempore Regum, aliud sub Decemviris, aliud denique sub Cæsaribus. Sanè in Germanico Imperio etiam publicæ Ordinum lites ex Jure Romano privato dijudicantur. Idque inde est, quia in judiciis Regionum Domini ut privati considerantur. v. D. Ludolph. Hugo de statu Regionum German. c. ult. Contra aliorum populorum & Regum contractus ex Jure Romano, quantum fieri potest, uti quibusdam placuit, interpretandos recte negat H. Grotius (3)

§. XV.

Canonum Juri multo minus hac in parte deferendum. Jam olim in causa Ludovici Bavari Imperatoris agebant Jcti. (1) Majestatis Cæsareæ magnitudinem non esse aestimandam ex Pontificum decretis, nihil illis in hac parte inconstantius, nihil incertius

certius: modo supra Pontificem Imperatorem extollere, modo longè infra deprimere, prout expediisset tempori inservientibus. Recentiores constitutiones, ambitu plenissimas, tunc maxime illusisse Imperio, cum adversus publicas injurias nemo se auderet invidia offerre. Mox Johannem Pontificem (is fuit XXII.) auxisse hæc commenta Clementino Codice in publicum emisso, ut aliqua juris imago accederet tanta novitatis prodigiis. Quæ vero in decreto habentur, & auctorum suorum nomina præferunt, in plurimis falsi mendacii & errorum sententiæ jam dudum sunt manifesta. Ut post Antonium Augustinum & alios ostenderunt Casaubonus, (2) Blondell: (3) Tabor (4) & alii. De hujus interpretibus, quos Canonistas vocant, vetus Baldi querela est: *omnia eos ad molendinum suum derivare, & Zasii, (5) qui non sine bile ait: Eos semper adversum nos pugnare longioribus armis.*

§. XVI.

Illud facile intelligitur, populum unum sive civitatem unam non posse condere jus huic publico universali juri contrarium, in alterius populi fraudem valiturum. Non malè Nabis ad Quintum Romanum Conf. dicebat apud Livium: (1) *Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Latædamone fiunt.* Neque alio pertinet quod H. Grotius ad fratrem Guilielmum scripsit de Gallis. (2) *In Catalanos jus re- petunt à Carolo M. temporibus, ajuntque, contra regnum Gallia nullos valere temporum lapsus. Ita sibi fingunt jura quibus aliarum Gen- tium nulla assentiuntur. Quale est & jus, quod vocant unionis, ex quo cuncta à Regibus Gallia semel possessa, etiamsi aliunde ei obvenerint, apud Regem manere debeant, exclusis iis ad quos alioqui venire debebat hereditas: ita ut si regnum proveniret, ad Principem Condaum, is regnum habere deberet exclusis iis, qui post Henrici quarti progeniem*

(2) Exer-
cit Baron.
16. c. 58.
(3) in
Pseudo
Isidoro.
(4) de Re-
gim. Im-
per. eccles.
§. 11. sect. 2.
§. 2. de
tor. in
anal. ex-
traord. ad
can. Epi-
scopi §. 3. 6.
8. 9 31. d.
confron-
tat. part.
ult. c. ult.
§. 4. & in
Ichno-
graph.
feud. P. 1.
ad §. 38.

(5) Zasius ad l. quoties C. de Judais n. 27. & ad l. nulli C. eod. Conf. D. Schitz Vol. 1. Jus publ. Exercit. 7. §. 7. lit. h. (1) 33. Hist. c. 31. (2) append. Epist. 738.

ad successionem Navarra pertinere reperirentur. *Multa habent talia*
 (3) 9. d. 7. *in quibus sibi blandiuntur.* Confer Pufendorf (3)
 N. & G. §. XVII.

c. 5. §. 9.

Cæterùm ne in tantâ rerum civilium copiâ in unum
 chaos cuncta aggerantur, aut indecorè coagmententur, non
 quidem placet methodus analytica, quam multi in disciplinis
 activis sub nomine Aristotelis, licet falsò, commendaverunt.
 Hic potius aliud in libris suis passim inculcat præceptum: ut
 à generalibus ad specialia descendamus. *Secus enim* (ait
 (1) 1. Hi- Aristoteles (1)) *in fœdum tautologiae sophisma incurres, & idem*
 stor. anim. *in specialibus sæpè dices, quod in generali & universali semel dictum sa-*
 c. 1. *tis superque in omnibus specialibus fuisset.* Cui si addamus, & hûc
 applicemus, quod in civili prudentiâ eximiè tradidit H. Con-
 ringius, nempe, *inter illa quæ diversi sunt gradus præponendum per-*
fectius, v. gr. doctrinam de civitatibus regularibus antequam
de abnormibus dispiciatur. Amplius, *præcognoscenda illa esse*
sine quibus cætera intelligi nequeunt. v. gr. homonymiam voca-
 buli, & quæstionem an res sit! ante causarum consideratio-
 nem; jam puto, nihil in hac disciplina occursurum, quod non
 loco quasi suo poni gestiat.

§. XIIX.

Adjiciendum aliquid de scriptotibus. Ex veteribus
 vix quenquam laudare possis. Nisi forsan putetur, Aristo-
 telem in libro, cui titulum præscripsit *δικαιώματα πόλεων*, sed
 deperdito, de jure hoc egisse. Post restitutum bonis literis
 nitorem (quod tempus à Friderici Cæsaris imperio, sive filii
 ejus Maximiliani id nomen primi, fas est ordiri) initium fe-
 cisse videtur Didacus Covarruvias Hispanus, & in hujus scho-
 lis eruditus Fernandus Vasquius, *in illustrium controversiarum*
libris, de quibus Bœcler. *judicium* legatur, *in præfatione ad Sel-*
deni Jus naturale & Gentium. Excepit hos Franciscus Hotto-
 mannus Gallus, qui *illustribus quæstionibus* (hæ pauca sunt) ne-
 negle-

glectum à Vasquio studium accuratioris historiarum intulit. Hujus civis Bodinus, etsi prudentiarum civili operaretur, multas tamen suis de *republica libris* intrusit juris quaestiones. Quod institutum dum multi nostratium tenuerunt, limites diversarum disciplinarum non parum conturbavere, nec temerè eam ob rem reprehendit Bodinum Michael Piccartus (1) & (1) ad 4. H. Grotius. (2) Hic ipse vero cum in celebratissimo de *Jure Polit. Belli & Pacis opere* jura quae gentibus invicem intercedunt, potissimum explicanda sumeret, publici juris capita scitissimè (2) *Prolegom. de Jure belli & pacis.* intexuit, ut pauca oppidò omiserit, multa accuratissimè exposuerit. Richardum Zouchæum Anglum, auctorem *Juris Fecialis*, propterea laudandum arbitror, quod in alterâ parte illustres superioris & hujus seculi controversias adjecerit, rationibus utrinque allatis collustratas. Idem ante ipsum instituerat Petrus Aërodius in *rerum judicatarum Pandectis*, præclarissimo opere, quem tamen auctorum imprimis veterum, unde ista excerpserat, rationes ipsorum potius quam suismet verbis expressisse malle. Novi quid tentavit Thomas (3) in Hobbesius Malmesburiensis, ut qui non dubitarit de se gloriari his verbis: *Physica res novitia est, sed Philosophia multo adhuc magis, ut qua antiquior non est libro quem de cive ipse scripsi* (hunc postea, paucis mutatis, in linguam Gallicanam transtulit, sub titulo *le corps politique ou les Elements de la loy morale & civile*) Et in libro de Leviathane sive summa potestate. (4) *De civitatis constitutione, de jure summum potestatem habentium, & de officiis civium, quae ex principiis naturalis rationis deducenda erant, quae dicenda habui, dixi omnia firma, perspicua, & ingenii liberis, ut puto, placitura.* De eodem libro in vitâ suâ carmine descriptâ.

*Firminus inde stetit, spero, stabitq, per omne
Ævum, defensus viribus ipse suis.*

*Justitia mensura, atque ambitionis Elenchus,
Regum arx, pax populo, si doceatur, erit.*

C

Vide.

Videbat Hobbesius, ut erat acerrimo ingenio, multa in disciplinâ hac sine certis asseri principiis, eapropter altius enitendum esse putavit. Verum infeliciter cecidit conatus, quando illis inædificavit fundamentis, quæ à sana ratione non parum deflectunt, nec exiguam rebus humanis labem afferre per sunt idonea. Dum enim Jus nullum in summo agnoscit Imperante, nisi quod se conservare possit, eundem vinculo aliò connecti cum subditis negat, discrimen imperiorum patrimonialium & usufructuariorum, civilium & herilium tollit, mixtas è numero civitatum ejicit, perinde fecisse videtur, ac si exquisitè confectas subductasque ab aliquo rationes rejicere ac confundere quis audeat, ut ipse edat & subjiciat novas. Sed nec ab affectibus vacuum fuisse Hobbesium non levi illud argumento est, quod de Leviathane libri, quem Anglicano sermone conscriptum sub florentissimò Cromvelli dominatu indignationem Regis sui fugiens & Londini degens ediderat, postea restitutò Rege in Latinam linguam versi multa in sententiam mitiorem flexit, quemadmodum à Cumberlandando (5) est observatum. Et tamen boni quid inesse ejus libris iniquus sit qui neget, jam tum etiam reapse ostendit, de disciplina Juris naturalis meritissimus vir & *avv* Samuel Pufendorfius, in cujus opere *de Jure naturali & Gentium* liber septimus & octavus in expositione Juris hujus occupantur, & subinde Hobbesianas sententias prudentissimè contemperant. Circa idem fere tempus, quo Pufendorfius, eodemque ut videtur proposito, Ulricus Huberus, non vulgaris eruditionis Vir, libros tres *de Jure civitatis sive de Jure publico universali*, in locum quasi vacuum veniens, vulgavit; sed cum in eo ipse, quo est candore, ordinem accuratiorumque diligentiam requireret, (6) ante paucos annos parte tertiâ auctiorem publico donavit. His non temere jungo Adriani Houtuyni, Jcti Batavi, libellum, quem *Politicam generalem* insignivit, atque

(5) c. 9.
disquis.
d. L. L. na.
tur, §. 23.

(6) in
Comment.
ad Instit.
de Justit.
jur. §. 8.
l. i. d. Jure
civit. c. 9.
§. 6.

atque Euclidea methodo digessit. Neque enim titulus iste quem moveat, quum in præmonitione ad lectorem edicat ipse: *Politica nomen operi inscriptum, quod civitatem spectet, & juris ad civitatem pertinentis regulas contineat.* Equidem quod Græcis est πολιτικῆ Cicero (7) dixit vel civilem prudentiam (7) in aut scientiam, vel reip. gerendæ rationem atque prudentiam, *Partitio nibus. l. 1. de invent. l. 2. d. offic.* sed hodie insolitum non est, vocis illis usum latius protendi. Nam & Fridericus Hornius in *Politica Architectonica*, & D. Christophorus Becman, viri Cl. in *meditationibus politicis & politica parallela*, quid aliud quam publicum hocce jus docent? paucissima sanè attingunt, quæ revera politici sunt argumenti. Cæterum pars hujus doctrinæ eximia tradita est in libris *de majestate & majestatis juribus*, qui uti numerò satis magnò extant, ita meritò suò heic nominari merentur scripta doctissima Henningi Arnisæi (cujus etiam non contemnenda extant commentaria *de majestate Principum inviolabilis & de exemptione Clericorum*) & D. Casparis Ziegleri Professoris Wittenbergensis, dum viveret, meritissimi.



C 2

COROL-



COROLLARIA.

I.

Edictum de in jus vocando hodie non omnino cessat.

II.

Illæ quæ metu fiunt subsistunt regulariter, etiam in contractibus bonæ fidei: metus interdum reverentialis restitutioni locum facit, infamiam non.

III.

Mandatarius levisimam culpam non semper præstat, neq; hic damnum fatale, quod in executione mandati passus est, ferre tenetur.

IV.

Omne periculum rei venditæ ad emptorem, licet re nondum traditâ, pertinet, aut licet venditor sibi dominium reserverit.

V.

Actor contumax, si bonam causam habet, vincit, quanquam in expensas condemnatur.

VI. Re-

VI.

Renunciatio successionis futura Jure civili valida non est, secus moribus & Jure Canonum:

VII.

Utile est doctrinam juris naturalis tractare.

IIIX.

Testamentum in jure naturali fundamentum habet.

IX.

Licet mihi fodiendo in meo vicini fontem avertere, & parietem meum aperire, ut in vicini fundum prospiciam.

X.

Errant illi qui prescriptionem inter proprios liberos ex legibus civilibus definiunt, & vel tempus certum vel bonam fidem requirunt.

XI.

Qui definiunt feudum per Usumfructum non habent, quo pacto se defendant, nisi vocis usu laxiore. Quanquam sic ius Vasalli tantum non etiam Domini exprimat, qua in parte plerumque aliorum definitiones impingunt.

XII.

Femina & Rusticus recte feudum conferunt.

XIII.

XIII.

Non toleranda illorum sententia, qui existimant
dominia privatorum induere rationem dominii uti-
lis & usufructus, intuitu summorum Imperantium.

XIV.

Extra ordinem Imperantes mala permittere pos-
sunt sine iniustitiâ.

XV.

An Doctores bullati iisdem privilegiis gaudeant
quibus legitime in Academiis creati, distinctione expe-
diendum est.

XVI.

Non omnis controversia Juris publici ex Jure
Justiniano decidenda.

XVII.

Male nonnulli finem civitatis religionem sta-
tuunt, & illorum quoque sententia falsa est, qui sum-
mam potestatem ex natura instituto apud universos
cives residere affirmant.

FINIS.





Gieszen, Diss.; 7694-7698


ULB Halle 3
001 601 571




Sb.

100 NA







97.

7. 7. 1694, 2
3. 7
2/1

DISSERTATIO
DE
PÆDIA JURIS
PUBLICI UNI-
VERSALIS.

QUAM
ASSISTENTE SACRO SANCTA TRINITATE
SUB PRÆSIDIO
Viri Excellentissimi ac consultissimi
DOMINI
JOH. NICOLAI HERTII,
J. U. D. ejusdemque Professoris Ordinar. meritissimi,
J. C. ti famigeratissimi,
*Domini Patroni ac Præceptoris sui, nullo non honoris &
obsequii cultu atatem prosequendi.*
publicæ eruditorum ventilationi exponit
JOH. GOTHOFRIDUS GEILFUS,
Butisbac. Wetterav.
ad diem Aprilis M DC XCIV.

GISSÆ-HASSORUM,
Typis HENNINGI MÜLLERI.

